Quelle: https://manuscripta.at/?ID=41344
Copyright: Melk, Benediktinerstift



3

convertatur et vivat.
Cum ergo interrogassemus dominum fratres
de habitatore tabernaculi eius audivimus
habitandi preceptum. Sed et si compleamus
habitatoris officium erimus heredes regni ce-
lorum. Ergo preparanda sunt corda et corpora nostra
sancte preceptorum obediencie militatura. et quod
minus habet in nobis natura possibile rogemus
dominum ut gracie sue iubeat nobis adiutorium mini-
strare. Et si fugientes gehenne penas ad vitam
volumus pervenire perpetuam. dum adhuc vacat
et in hoc corpore sumus. et hec omnia per hanc
lucis viam vacat implere. currendum et agen-
dum est modo quod in perpetuum nobis expediat.
Constituenda ergo est a nobis dominici scola
servicii. in qua institucione nichil asperum nichil
grave nos constituturos speramus. Sed et
si quid paululum restrictius dictante equitatis ra-
cione propter emendacionem viciorum vel conserva-
cionem caritatis processerit. non illico pavore per-
territus refugias viam salutis. que non
nisi angusto inicio incipienda. Processu